*Pro Domin.* c. 31. n. 7. Dicunt, ſe nullam amplius ſentire tentationem. Errant! Simiæ, cum lyncem mortuum putant, & improvide accedunt, ſubito occupantur, & occiduntur: Ita, qui diabolo nimis fidunt, pereunt. *Pro Domin.* c. 31. n. 9. & ſeq.

Q. 7. Non habes exemplum, quo explicatur, quomodo fugiendæ ſint perſonæ ſuſpectæ? ℞. Habeo in Wenefrida Virgine, quæ, cum a Cadoco Principe inviſeretur, per feneſtram ſe præcipitavit, & a Cadoco in templo trucidata revixit, &c. *Pro Domin.* c. 31. num. 13.

## CATECHESIS XXVIII.

### De Sacramento Extremæ unctionis.

Q. 1. Quid requiritur ad Sacramentum extremæ unctionis? ℞. Requiritur, ut homo, cui confertur, morbo naturali decumbat. Quid autem cenſendum eſt de morbis naturalibus? ℞. Magnum emolumentum animæ afferunt, quia a peccatis commiſſis mundant, & a committendis præſervant. *Pro Feſt.* c. 24. n. 3. & 4.

Q. 2. Quare ergo Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum Extremæ unctionis? ℞. Quia morbi naturales non ſunt ſine periculo; ægrotum enim in magnam puſillanimitatem conjiciunt, propter memoriam mortis. *Pro Feſt.* c. 24. n. 5.

Q. 3. Nunquid Sacramentum Extremæ unctionis etiam valetudinem corporis confert? ℞. Omnino confert, ſi id animæ profuerit; prout luculenta hujus rei habentur exempla. *Pro Feſt.* c. 24. n. 9.

Q. 4. Cur ergo tam raro contingit, ut hoc Sacramentum valetudinem conferat? ℞. Duplici ex cauſa; quia ſine firma fide ſuſcipitur, & quia nimis diu, uſque ad confinia mortis differtur. *Pro Feſt.* c. 24. n. 9.

Q. 5. Quomodo homo Chriſtianus præparari debet ad Sacramentum Extremæ unctionis? ℞. Triplici modo: 1. Ut teſtamentum in tempore condat. 2. Ut animum ab omnibus terrenis avellat. 3. Ut animam per confeſſionem, & alia pia opera mundet. *Pro Feſt.* c. 25. per totum.

Q. 6. Quos effectus producit Sacramentum Extremæ unctionis? ℞. Duos effectus. 1. Conſcientiam anguſtiatam tranquillat. Et 2. contra dæmones fortitudinem & victoriam tribuit. *Pro Feſt.* c. 26. per totum.

## CATECHESIS XXIX.

### De Sacramento Ordinis.

Q. 1. An in honore habendi ſunt Sacerdotes? ℞. Sunt utique, quia Chriſtus illos in convertendis peccatoribus ſibi ſubſtituit, & magnam illis poteſtatem dedit. Quænam eſt iſta poteſtas? ℞. Eſt duplex, ordinis & jurisdictionis: prima extendit ſe ad corpus Chriſti reale, altera ad corpus Chriſti myſticum. *Pro Feſt.* c. 28. per totum.

Q. 2. Quæ porro eſt ratio, cur honorandi ſint Sacerdotes? ℞. Honorandi ſunt propter ſuum officium tanquam Dei legati: Dein propter zelum animarum, quo ſe peccati opponunt. Demum propter virtutem caſtitatis, ad quam obligantur. *Pro Feſt.* c. 29. per totum.

Q. 3. Quænam aliæ ſunt rationes honorandi Sacerdotes? ℞. Honorandi ſunt propter Ss. Miſſæ Sacrificium, quod in ſalutem humani generis quotidie offerunt. Dein propter Verbum Dei, quod ad converſionem peccatorum de cathedris declamant. Denique propter preces Canonicas, quibus Deum iratum propitiant. *Pro Feſt.* c. 31. per totum.

Q. 4. An aliæ ſuperſunt adhuc rationes, propter quas Sacerdotes honorandi ſint? ℞. Superſunt, nam honorandi ſunt ob periculum animarum, quod in cura animarum ſubeunt. Dein propter humilitatem, qua in locis vilibus habitant. Denique propter perſecutiones, quas a malevolis tolerant. *Pro Feſt.* conc. 32. per totum.

Q. 5. Quæ ergo cauſa eſt, quod Sacerdotibus debitus honor non exhibeatur? ℞. Cauſa eſt 1. quia mundus putat Sacerdotes eſſe meros hypocritas: Dein quia putat eſſe avaros Euclinones: Et denique quia putat eſſe indiſcretos Ariſtarchos, qui non tam crimina, quam perſonas in cathedra perſtringunt. *Pro Feſt.* c. 33. per totum.

## CATECHESIS XXX.

### De Sacramento Matrimonii.

Q. 1. Quomodo differt Matrimonium novæ legis a Matrimonio antiquæ legis? ℞. Differt in eo, quod longe ſit nobilius, & perfectius, quia tanquam actio Chriſti confert gratiam ſanctificantem, & eſt indiſſolubile. Matrimonium autem antiquæ legis erat ſolum contractus naturalis ſerviens ad propagationem humani generis: & ideo diſſimulatum eſt maritis habere plures uxores, & dare libellum repudii. *Pro Domin.* c. 52. n. 1.

Q. 2. Ex quo autem Matrimonium adeo a Chriſto nobilitatum eſt? ℞. Ex triplici capite: 1. Quia elevatum eſt ad rationem Sacramenti. 2. Quia ex ſuo fine ad id ordinatum eſt, ut compleatur numerus electorum. 3. Quia habet hunc effectum ut conferat gratiam ſanctificantem. *Pro Domin.* c. 52. per totum.

Q. 3. An ſtatus matrimonialis non obſtet ſaluti? ℞. Non obſtat, ſi cum debita intentione, & præparatione ineatur; quia Chriſtus ipſe nuptiis interfuit in Cana Galilææ, & quia multi Sancti tam in vetere quam in nova lege fuerunt uxorati. *Pro Domin.* c. 53. n. 3. 4. 5. &c.





Q. 4. Quænam debet eſſe intentio nubentium? ℞. Debent reſpicere ſolam divinam voluntatem, & ſuam ſalutem. Hinc mirum non eſt, multa matrimonia infelicia inveniri, quia ex ſuperbia, avaritia, luxuria, & aliis peſſimis finibus ſine reſpectu ad Deum conflantur. *Pro Domin.* c. 53. n. 6. & ſeq.

Q. 5. Quænam eſt præparatio ad Matrimonium? ℞. Proxima eſt, ut ſponſi ſtatum gratiæ procurent, antequam contrahant. Remota eſt, ut cum prudentibus amicis, & parentibus bene deliberent, innocentem etiam vitam ducant. Præcipue autem orationem & obedientiam ſibi commendatam habeant. *Pro Domin.* conc. 52. num. 9. & ſeq. Juvenis qui patrimonium omne in pauperes diſtribuerat, opulentæ filiæ in conjugem adoptatur. Sic Matrimonia debent eſſe a Deo. *Pro Domin.* c. 53. num. 11.

## CATECHESIS XXXI.

### De obedientia erga parentes in eligendo Matrimonio, & iis, quæ novis conjugibus obſervanda ſunt.

Q. 1. Quænam Matrimonia ſunt infeliciſſima? ℞. Quæ ex libidinis pruritu, & cæca procandi libertate contrahuntur. *Pro Domin.* c. 54. num. 1.

Q. 2. Quinam errores multoties committuntur circa Matrimonia? ℞. Illi, quibus vel filiis Matrimonia a parentibus obtruduntur, vel illi ſine conſenſu parentum libere contrahere permittuntur. Infelix filia famuli conjugium extorquens, poſtea fere ad inſaniam redigitur. *Pro Domin.* c. 54. n. 3. 4. 5.

Q. 3. Quinam ſunt alii id genus errores? ℞. Sunt, ſi juvenes ex cæco amoris impetu, ſine ſcitu parentum, ſponſalia contrahant, & peſſime vivant. Quod peſſimum eſt, hæc ſponſalia valent, nec ſine peccato poteſt ab illis recedi. Puella infida primo ſponſo, in nuptiis contractis cum altero, rapitur a dæmone.

Q. 4. Quomodo honorandum eſt Matrimonium ad mentem Apoſtoli? ℞. Honorandum eſt in iis, quæ antecedunt, quæ comitantur, & quæ ſubſequuntur. *Pro Domin.* conc. 55. n. 1. & ſeq.

Q. 5. Quomodo hoc intelligendum? ℞. Ante conjugium ſponſi fugiant impudentiam, & peccaminoſam familiaritatem. In ipſa nuptiarum die Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ obeant, contra præſtigias ſe præmuniant, & etiam convivarum petulantiam coerceant. Poſt contractum Matrimonium ſtudeant conjuges, ut ſe invicem honorent, & ament, ſine litibus & diſſidiis vivant. *Pro Domin.* c. 55. per totum.

Q. 6. Non habes exemplum amoris conjugalis? ℞. Habeo. Conradus III. Imperator, dum urbem Weinſpergenſem obſidebat, fœminis licentiam dedit libere abeundi, & quidquid cuique chariſſimum eſſet, aſportandi. Et ecce! mulieres ſuos maritos in humeris aſportabant. *Pro Domin.* c. 55. n. 11.

## CATECHESIS XXXII.

### De amore conjugali, ejuſque probationibus.

Q. 1. An conjuges tenentur ſe invicem amare? ℞. Tenentur; & quidem ex natura, ex effectu, & ex qualitate ipſius matrimonii. *Pro Domin.* c. 56. n. 1. & ſeq.

Q. 2. Qualis debet eſſe iſte amor? ℞. Debet eſſe triplex: 1. *Spiritualis*, ita, ut unus pro alterius ſalute ſolicitus ſit. 2. Amor *humanus*, vi cujus conjuges pacem ac concordiam, honorem, & reverentiam ſibi invicem debent. 3. Amor *conjugalis*, ita, ut conjuges in calamitatibus & perſecutionibus ſe invicem non deſerant. *Pro Domin.* c. 56. per totum. Præclara hujus rei habentur exempla. *Ib.* n. 7. 8. & ſeq.

Q. 3. Quænam ſunt amoris conjugalis probationes? ℞. Sunt geminæ, videlicet alteri libenter benefacere & mala patienter recipere. *Pro Domin.* c. 57. per totum.

Q. 4. Quomodo alteri benefaciendum eſt? ℞. Quoad animam, adhortando & bonis exemplis ad bonum trahendo; prout fecit Natalia uxor S. Adriani Martyris. Quoad corpus, compatiendo, ſuccurrendo, & errores diſſimulando. *Pro Domin.* conc. 57. n. 3. 4. 5. & ſeq.

Q. 5. Quomodo mala patienter recipienda ſunt? ℞. Quia caritas patiens eſt, & injurias ab altero conjuge ſibi illatas diſſimulat. Stupendum, & vix imitabile exemplum hujus patientiæ & caritatis edidit Griſeldis Marchionis Pedemontani uxor. *Pro Domin.* conc. 57. n. 7. & 8.

## CATECHESIS XXXIII.

### De cauſis infelicium Matrimoniorum.

Q. 1. Quænam ſunt cauſæ infelicium Matrimoniorum? ℞. Prima eſt, quod Matrimonia ineantur ſine Dei vocatione, quæ tamen ſpeciatim conjugibus neceſſaria eſt. Puella extorquens conjugium contra ſuam vocationem ipſa die nuptiarum perit. *Pro Domin.* c. 58. n. 3. & ſeq.

Q. 2. Quænam altera cauſa infelicium Matrimoniorum? ℞. Eſt coactio parentum, quæ ſæpe fit intuitu divitiarum aut officii. Scimus autem, quæ mala tam in ſtatu Eccleſiaſtico, quam ſæculari ex ejuſmodi coactione ſequantur. Lamentabile hujus rei exemplum habetur in filia conſentiente matre miſere decepta. *Pro Domin.* c. 58. n. 6. 7. 8.

Q. 3. Quænam tertia cauſa infelicium Matrimonio-

moniorum? ℞. Sunt pravæ nubentium intentiones; quidam enim in conjuge ſolum attendunt pulchritudinem, aut divitias, aut voluptates. *Pro Domin.* c. 59. per totum.

Q. 4. Quænam quarta cauſa infelicium Matrimoniorum? ℞. Sunt peccata antecedentia, conſequentia, & aliena. Deus punit propter peccata antecedentia v. g. laſciviæ; ſicut punivit Davidem. Deus punit propter peccata conſequentia v. g. propter adulteria & ſuſpectas familiaritates. Deus punit propter peccata aliena v. g. famulorum impudicitias, quæ non coercentur. *Pro Domin.* conc. 60. per totum.

Q. 5. Quænam quinta cauſa infelicium Matrimoniorum? ℞. Sunt querelæ uxoris extra domum, aut ſi ſuſurrones libenter audiantur, aut ſi mariti ſint vel nimium manſueti, vel nimium auſteri. *Pro Dominicis* concept. 61. per totum. Terribile eſt exemplum vetulæ, quæ pacem conjugum piorum turbavit. *Ibidem* num. 7.

Q. 6. Quodnam eſt nocentiſſimum conjugum venenum? ℞. Eſt zelotypia. Paulus Carinthi Comes Hildegardem conjugem de arce præcipitat. *Pro Domin.* c. 61. n. 11.

Q. 7. Quænam ſexta cauſa infelicium Matrimoniorum? ℞. Matrimonia ſæpe diſſidioſa fiunt: 1. Propter inordinatum deſiderium prolium, 2. Propter inæqualem earum educationem. 3. Propter diverſitatem geniorum in ipſis conjugibus. *Pro Domin.* concept. 62. per totum.

Q. 8. Quænam ſunt remedia infelicium Matrimoniorum? ℞. Sunt 1. Ex parte conjugis ordinata diſtributio officiorum. 2. Ex parte mariti prudentia & manſuetudo. 3. Ex parte uxoris debita ſubmiſſio. *Pro Domin.* c. 63. per totum.

# CAPUT QUINTUM.

*De Juſtitia Chriſtiana.*

## CATECHESIS PRIMA.

### Quid ſit Juſtitia Chriſtiana, & quis ad illam obligetur?

Q. 1. Quid ſit juſtitia Chriſtiana? ℞. Juſtitia in hac conſideratione idem eſt, ac perfectio Chriſtiana, conformitas cum lege divina, ſtudium ſerviendi ac placendi Deo, & inculpabilis vitæ probitas; quo ſenſu dicitur homo juſtus, qui opponitur peccatori. Hinc Juſtitia Chriſtiana duo officia a nobis exigit: Declinare a malo, & facere bonum. *Pro Domin.* c. 64. n. 1. & ſeq.

Q. 2. Quinam adſtringantur ad Juſtitiam Chriſtianam? ℞. Adſtringuntur omnes omnino homines, nullo excepto, etiam mundani. *Pro Domin.* c. 64. n. 2.

Q. 3. Qua de cauſa? ℞. Quia quilibet homo Chriſtianus obligatur, ut in virtute ſemper aſcendat, non quidem ſimul & ſemel, ſed ſucceſsive. *Pro Domin.* conc. 64. per totum. Quilibet hominum pro exemplari ſibi præfigat Sanctum, qui in ſuo ſtatu vixit, imitandum. *Ib.* num. 5. Neque obſtat huic conatui proficiendi etiam ſtatus ſæcularis. *Ib.* num. 8.

Q. 4. Quid requiritur ad Juſtitiam, ſeu perfectionem Chriſtianam? ℞. Requiritur in primis & ante omnia, ut homo perfecte ſe convertat ad Deum; hæc autem converſio conſiſtit in eo, ut bene incipias, ut ſtrenue pergas, & denique ut conſtanter perſeveres. *Pro Domin.* c. 72. per totum.

Q. 5. Quid ulterius requiritur ad Juſtitiam ſeu perfectionem Chriſtianam? ℞. Requiritur, ut homo per actiones quotidianas, etiam minimas, ſemper colligere & augere bonorum operum merita ſatagat, id quod in operibus quotidianis exemplificatur, & in Vitis ac actionibus Sanctorum. *Pro Domin.* c. 73. per totum.

Q. 6. Quid ulterius requiritur ad Juſtitiam & perfectionem Chriſtianam? ℞. Requiritur, ut homo nunquam meritorum ſatur ſit, ſed in virtute magis ac magis, nonobſtante quacunque difficultate, creſcere ſtudeat. *Pro Domin.* c. 74. per totum.

Q. 7. Quid denique requiritur ad Juſtitiam & perfectionem Chriſtianam? ℞. Requiritur ſpecialiter, ut reſpondeat ſuæ vocationi, & Deo gratus ſit 1. Pro vocatione ad fidem. 2. Gratus ſit pro vocatione ad pœnitentiam. 3. Gratus ſit pro vocatione ad certum ſtatum. *Pro Domin.* c. 75. per totum.

## CATECHESIS II.

### De adjumentis proficiendi in Juſtitia Chriſtiana.

Q. 1. Quænam ſunt adjumenta proficiendi in Juſtitia Chriſtiana? ℞. In primis & ante omnia eſt gratia divina, quæ homini ſummopere neceſſaria debet prævia diſpoſitione acquiri, & cooperatione conſervari. *Pro Domin.* c. 65. per totum.

Q. 2. Quodnam eſt ſecundum adjumentum proficiendi in juſtitia Chriſtiana? ℞. Eſt ſeria voluntas: Seria autem erit, ſi ſit prompta, ſi ſit pura, & ſi ſit firma: *Pro Domin.* c. 66. per totum. Hanc conſtantiam voluntatis mirum in modum habuit S. Thomas Cantuarienſis Epiſcopus & Martyr. *Ib.* n. 10.

Q. 3. Quodnam eſt tertium adjumentum proficiendi in Juſtitia Chriſtiana? ℞. Eſt auditio & lectio verbi divini, quæ in convertendis peccatoribus magnam habet efficaciam. *Pro Domin.* c. 67. per totum.

Q. 4. Quodnam eſt quartum adjumentum proficiendi in Juſtitia Chriſtiana? ℞. Eſt ſocietas bonorum, & ſolitudo, quarum utraque multum prodeſt ad virtutem. *Pro Domin.* c. 68. per totum.



Q. 5. Quodnam eſt quintum adjumentum proficiendi in juſtitia Chriſtiana? ℞. Eſt electio prudentis Confeſſarii, & colloquium ſpirituale, cujus materia volenti deeſſe non poteſt. *Pro Domin.* c. 69. per totum.

Q. 6. Quodnam eſt ſextum adjumentum proficiendi in Juſtitia Chriſtiana? ℞. Sunt Sacramenta Pœnitentię & Euchariſtię frequenter uſurpata. Exemplum habemus in S. Pelagia converſa, in Maria Ægyptia, & aliis, &c. *Pro Domin.* c. 70. per totum.

Q. 7. Quodnam eſt ſeptimum adjumentum proficiendi in Juſtitia Chriſtiana? ℞. Eſt oratio & tribulatio. *Pro Domin.* c. 71. per totum.

## CATECHESIS III.

### De Oratione.

Q. 1. Cur oratio æſtimanda & exercenda eſt? ℞. Quia pęnę reſiduę reatum extinguit, & Deum propitiat; ideo Iſraelitę, Jacob, Joſaphat, Job, Jonas, & alii in neceſſitatibus orarunt. *Pro Domin.* c. 34. n. 34. & ſeq.

Q. 2. Ergo Oratio neceſſaria eſt, & ad quid? Reſp. Omnino neceſſaria eſt ad hoc, ut Dei gratiam, ſine qua nihil poſſumus, impetremus, & in bono perſeveremus. *Pro Domin.* c. 34. §. 1.

Q. 3. Ad quid Oratio eſt utilis? ℞. Ad hoc, ut Deum honoremus, & ut beneficia Dei tanto nobis ſint ęſtimabiliora, & ut virtutum exercitio aſſueſiamus. *Pro Domin.* c. 34. §. 2.

Q. 4. Quam efficaciam habet Oratio ad impetranda Dei beneficia? ℞. Tantam, ut ipſi Deo quaſi vim inferat; id quod magis verum eſt in novo, quam in veteri Teſtamento. *Pro Domin.* c. 34. §. 3.

Q. 5. Habes hujus rei confirmandæ hiſtoriam? ℞. Habeo. Paccus juvenis Monachus adeo tentationibus ad deſperationem adigebatur, ut ſibi mortem irrogare decreverit: Verum ab alto monitus eſt, ut Orationis remedium adhiberet. *Do Domin.* c. 34. n. 11.

Q. 6. Quæ ergo cauſa eſt, quod preces noſtrę ſępe non exaudiantur? ℞. Cauſa eſt pręcipue triplex: 1. Quia defectus ſe tenet ex parte orantis v. g. cum non eſt in ſtatu gratię. 2. Quia defectus ſe tenet ex parte rei, quę petitur v. g. cum ſit nociva aut ridicula. 3. Quia defectus ſe tenet ex parte modi, quo oratur, verbi gratia cum eſt tepidus, inconſtans, &c. *Pro Domin.* concept. 35. per totum.

Q. 7. Ad quid conducit homini Oratio? ℞. Eſt homini non tantum utilis, ſed omnino neceſſaria, &c. *Pro Domin.* c. 77. n. 1.

Q. 8. Quotuplex eſt Oratio? ℞. Triplex: Vocalis, mentalis, & jaculatoria. Bene autem advertendum, quomodo unaquęque conſtituta eſſe debeat. *Pro Domin.* concept. 77. per totum.

## CATECHESIS IV.

### De Eleemoſyna.

Q. 1. Quale meritum poſt ſe trahit Eleemoſyna? ℞. Illud, quod Deus Eleemoſynario ſe obſtringat, quod velit illum beatum facere in vita, in morte, & poſt mortem. *Pro Domin.* c. 37. per totum.

Q. 2. Quomodo Eleemoyſiarius beatus ſit in vita? Reſp. Quia non depauperatur, ſed potius ditatur; prout in plurimis patet exemplis. Quodſi Deus per bona temporalia non compenſat Eleemoſynas, compenſat per ſpiritualia. *Pro Domin.* c. 37. §. 1. & c. 74. num. 1.

Q. 3. Quomodo Deus Eleemoſynas compenſat in morte? ℞. Quia defendit contra inimici inſidias; prout iterum plurimis patet exemplis. *Pro Domin.* c. 37. §. 2.

Q. 4. Quomodo Deus Eleemoſynas compenſat poſt mortem? ℞. Quia Eleemoſyna hominem in judicio defendit; prout iterum luculentum exemplum habetur in quodam Petro, avaro euclione, qui ęternum periiſſet, niſi eo die panem pauperi porrexiſſet. *Pro Domin.* c. 37. §. 3.

Q. 5. Quotuplex eſt Eleemoſyna? Reſp. Duplex, una corporalis, qua proximo in neceſſitate ſuccurritur, altera ſpiritualis, qua proximus a vitiis retrahitur. Utriuſque datur obligatio, & utramque Deus largiter remuneratur. *Pro Dominic.* concept. 76. per totum.

## CATECHESIS V.

### De Jejunio.

Q. 1. An Jejunium eſt utile & ſalutiferum? ℞. Eſt omnino; & quidem ex triplici capite: 1. Quia per Jejunium Deo pro peccatis ſatisfit. 2. Quia concupiſcentiam domat. 3. Quia mentem ad cęleſtia elevat. *Pro Domin.* c. 36. per totum.

Q. 2. Quomodo per Jejunium ſatisfit Deo? ℞. Quia Deus per peccata offenſus Jejunio placatur; quod experti ſunt Ninivitę & Iſraelitę. *Pro Domin.* c. 36. §. 1.

Q. 3. Quomodo Jejunio compeſcitur concupiſcentia? ℞. Quia petulanti carni ſubtrahit materiam, & diabolum tentantem expugnat. *Pro Domin.* c. 36. §. 2.

Q. 4. Quomodo Jejunium mentem ad cęleſtia elevat? ℞. Quia tollit craſſos carnis vapores, qui cęli aſpectum eripiunt, virtutem conſervat, & acuit; hinc homines ſancti

tam auſtero Jejunio corpus extenuarunt. *Pro Domin.* c. 36. §. 3.

Q. 5. Ad quid conducit Jejunium? ℞. Magnas fert utilitates tam corporis, quam animæ. *Pro Domin.* c. 78. n. 1.

Q. 6. Quotuplex eſt Jejunium? ℞. In Eccleſia eſt præcipue quadruplex: Jejunium feriæ ſextæ, Jejunium ſabbathi, Jejunium quatuor temporum, & Jejunium quadrageſimale; quorum unumquodque ab Eccleſia ex ſpeciali fine inſtitutum eſt. *Pro Domin.* concept. 78. per totum.

## CATECHESIS VI.

### De peccatis capitalibus & in ſpecie de ſuperbia, ejuſque filiabus.

Q. 1. Quid ſit ſuperbia? ℞. Eſt perverſæ celſitudinis appetitus, ſeu inordinatus amor excellentiæ. Originem habet a Lucifero, & quadruplex eſt in ſuis operationibus. *Pro Domin.* c. 79. n. 3. & ſeq.

Q. 2. Quos hominum ſtatus maxime afficiat ſuperbia? ℞. Maxime afficit nobiles, divites, mulieres, litteratos, & pietatem ſectantes. *Pro Domin.* c. 79. n. 8. & ſeq.

Q. 3. Quodnam eſt remedium contra ſuperbiam? ℞. Eſt conſideratio mortis. *Pro Domin.* c. 79. n. 9. Et etiam conſideratio Paſſionis Dominicæ, præſertim in monte oliveti. *Pro Domin.* c. 80. n. 1.

Q. 4. Quale exemplum habetur proſtratæ ſuperbiæ? Reſp. Exemplum Joviniani Imperatoris, qui lavans in flumine veſtibus & imperio orbatus eſt. *Pro Domin.* c. 80. n. 3. & ſeq.

Q. 5. Quas filias parturit ſuperbia? ℞. Parit jactantiam, arrogantiam, & ambitionem. Jactantia, ſi in præjudicium proximi cedat, eſt culpa lethalis, & hoc inſuper habet, quod a toto mundo odio habetur. Arrogantia eſt vitium proprium eorum, qui omni bona qualitate carent. Ambitio integra regna turbat, & orcum animabus replet. *Pro Domin.* c. 94. per totum. Ambitioſi autem nemini magis, quam ſibi ipſis nocent. Exemplum habetur in Franciæ Mareſchallo de Biron. *Ib.* n. 10.

Q. 6. Quænam ſunt aliæ filiæ ſuperbiæ? ℞. Sunt hypocriſis, pertinacia, & hæreſis. Hypocriſis, quæ eſt affectata ſanctitatis ſimulatio, quæ Deo valde eſt odibilis. Pertinacia, quæ ſi in rebus fidei fiat, ad perniciem ducit. Exemplum habemus in Hierone, & aliis, in quibus hæreſin parturiit. *Pro Domin.* c. 95. per totum.

Q. 7. Quæ ſunt denuo filiæ ſuperbiæ? ℞. Sunt contemptus aliorum, qui diſſenſiones inter alios excitat, & alios ſibi poſtponit. Dein inobedientia contra Deum & hominem. Et denique præſumptuoſa temeritas, quæ ſæpe præſumptuoſum velut Phaetonem ſternit. *Pro Domin.* conc. 96. per totum. Exemplum habetur in Roderico Chalderonio in Hiſpania. *Ib.* num. 10.

Q. 8. Quænam ſunt pœnæ ſuperbiæ? ℞. Sunt luculentæ, quibus Deus ſuperbiam ſemper punivit in præterito, punit in præſenti, & puniet in futuro; uti exempla habemus in Lucifero, in Alphonſo Rege Caſtiliæ, in Franciæ Mareſchallo Concino, & aliis. *Pro Domin.* c. 97. per totum.

Q. 9. Quænam virtus opponitur ſuperbiæ? ℞. Virtus humilitatis; debent autem Chriſtiani corpore, ore, & opere humiliari. Corde ita, ut ſemper ſuæ originis & fragilitatis ſint memores. Ore, ut, quæ bene agunt, non ſibi, ſed Deo adſcribant. Opere, ut excellentias & dignitates fugiant, & in ſui contemptu lætentur. *Pro Domin.* concept. 98. per totum.

## CATECHESIS VII.

### De peccato Avaritiæ, ejuſque filiabus.

Q. 1. Quale vitium eſt avaritia? ℞. Eſt vitium univerſale, quod ſingulis ſtatubus adhæret, vitium crudele, quod nihil non audet, vitium imprudens, quod in mediis divitiis eget, & denique vitium incorrigibile, &c. *Pro Domin.* c. 18. per totum.

Q. 2. An avaritia, & quando ſit peccatum lethale? ℞. Tunc, cum impoſturis & fraudibus conjuncta eſt, aut vergit in præjudicium tertii. *Pro Domin.* c. 81. n. 9.

Q. 3. Quod remedium, & pœna avaritiæ? ℞. Remedium eſt Chriſtus pro pecunia venditus. *Pro Dominic.* c. 82. n. 1. Pœna eſt ruina tam corporis, quam animæ, qua Deus avaritiam plectit; prout exemplum terribile habetur in duobus conjugibus. *Pro Domin.* c. 82. n. 3. & ſeq.

Q. 4. Quas filias parturit avaritia? ℞. Avaritia, quæ ſchemate honeſtatis larvatur, parit immiſericordiam in pauperes, fraudulentiam in negotiis, & neglectum rerum divinarum. *Pro Domin.* c. 99. per totum.

Q. 5. Quod aliud monſtrum parit avaritia? ℞. Parit quaſi idololatriam, dum omnes idolum *Intereſſe* adorant: Idolum hoc cauſavit primum peccatum, & de facto cauſat diſcordias etiam inter fratres & parentes, atque omnes hominum ſtatus depravat. *Pro Domin.* c. 100. per totum.

Q. 6. Quænam eſt infelicitas hominis avari in hoc mundo? Reſp. Ea eſt, quod in comparandis divitiis habeat magnum laborem, in conſervandis magnum timorem, in amittendis magnum dolorem. *Pro Domin.* conc. 101. per totum.

Q. 7. Quænam ſunt pœnæ avaritiæ? ℞. Avarus graviſsime punitur, & ſpecialiter in eo, quod





ſit infelix in hac vita, infelix in morte, & infelix poſt mortem. *Pro Domin.* concep. 102. per totum.

Q. 8. Quænam ſunt virtutes avaritiæ oppoſitæ? ℞. Sunt juſtitia, pia liberalitas, & contemptus mundi. Juſtitia, qua cuilibet tribuitur jus ſuum, & divitiæ a Deo conceſſæ debito ac competenti modo diſtribuuntur, & pauperibus benefit. Pia liberalitas: Ubi bene attendendum, cui, quantum, & de quo benefacias. Denique contemptus mundi, vi cujus homo Chriſtianus animum habere debet a rebus temporalibus alienum, & ad paupertatem vel divitias indifferentem. *Pro Domin.* c. 103. per totum.

## CATECHESIS VIII.

### De peccato Luxuriæ.

Q. 1. Quæ cauſa luxuriæ? ℞. Sæpe divitiæ ducunt ad illam, peccatum omnino turpiſsimum. *Pro Domin.* c. 83. n. 1.

Q. 2. Quale vitium eſt luxuria? ℞. Eſt ſcelus periculoſiſsimum, quod falſis voluptatibus omnes hominum ſtatus conſpurcat; & innumerabiles animas perdens ab ipſo dœmone, & ſingulariter a Deo odio habetur. *Pro Domin.* c. 83. n. 3. & ſeq.

Q. 3. Quale remedium eſt contra luxuriam? ℞. Eſt conſideratio flagellationis Chriſti. *Pro Domin.* c. 81. n. 1. Et terribiles pœnæ, quibus Deus hoc vitium plectit; prout exemplum habetur in infelici quodam Polono. *Pro Domin.* c. 84. n. 3. & ſeq.

Q. 4. Quæ damna cauſat luxuria? ℞. Deſtruit bona famæ, & cauſat infamiam. Item deſtruit bona fortunæ, & cauſat paupertatem. Iterum deſtruit bona corporis, & cauſat infirmitates. Denique deſtruit bona animæ, & cauſat odium Dei. *Pro Domin.* conc. 104. per totum.

Q. 5. Cur damnandum ac fugiendum eſt peccatum luxuriæ? ℞. Quia malum eſt initio, pejus in progreſſu, peſsimum in fine. Initio malum eſt, dum a levi conſortio, vel familiaritate oritur. In progreſſu pejus eſt, quia fit inemendabile, & diſponit ad Apoſtaſiam, & magiam. Peſsimum eſt in fine, quia interitum poſt ſe trahit; prout luctuoſa hujus rei exempla habemus. *Pro Domin.* c. 105. per totum.

Q. 6. Quid cenſendum de cogitationibus impuris? ℞. Notandum, cogitationes impuras ex ſe, & ſine conſenſu non eſſe peccata, ſi autem conſenſu complentur, eſſe peccata valde periculoſa, nec poſſe opportunius vinci, quam per cuſtodiam oculorum, & per reſiſtentiam ſtatim initio. *Pro Domin.* c. 106. per totum.

Q. 7. Quænam ſunt remedia contra luxuriam? ℞. Sunt 1. occaſionum fuga, tam proximæ, quam remotæ. 2. Eſt conſideratio pœnarum, quæ huic vitio tam in hoc, quam in altero mundo decretæ ſunt. 3. Eſt conſideratio Paſſionis Dominicæ, cujus cauſa magna ex parte fuit luxuria, Et denique 4. Frequens memoria mortis. *Pro Dominic.* concept. 107. per totum.

Q. 8. Quænam ſunt incentiva luxuriæ? ℞. Sunt colloquia, & cantus obſcœni, quia grandia animarum damna cauſant. *Pro Domin.* c. 108. per totum.

Q. 9. Quid ſentiendum de libris, picturis, & comœdiis impuris? ℞. Sunt dœmonis inſtrumenta, quibus animas pervertit, & in perniciem trahit. *Pro Domin.* c. 109. per totum.

Q. 10. In quo conſiſtit maxima hominis luxurioſi infelicitas? ℞. In eo, quod ſemper in præſentaneo damnationis periculo verſetur; quia peccato luxuriæ, quod ex noxia familiaritate ortum trahit, in incorrigibilem obſtinaciam, & tandem in æternam damnationem deſinit. *Pro Domin.* c. 110. per totum.

Q. 11. Quænam eſt virtus contraria luxuriæ? ℞. Eſt caſtitas, quam nemo non hominum ſolicite conſervare ſtudeat; quia permagni a Deo, permagni a Chriſto, permagni a Sanctis, nihil autem a peccatoribus æſtimatur. *Pro Domin.* c. 111. per totum.

## CATECHESIS IX.

### De peccato Invidiæ.

Q. 1. Quid eſt invidia? ℞. Eſt odium felicitatis alienæ, ſeu triſtitia de bono alterius, peccatum prorſus diabolicum, & judaicum; quanto enim magis Chriſtus Judæis benefecit, tanto invidentius illi Chriſtum perſecuti ſunt. *Pro Domin.* c. 85. n. 1. 2. 3. &c.

Q. 2. Quibus in hominum ſtatubus invidia præ cæteris invenitur? ℞. Quamvis ſit vitium fere univerſale, tamen invidia præ cæteris tabeſcunt Magnates & Principes, dein Aulici, divites, opifices ejuſdem artis, fratres & ſorores, & etiam homines, qui perfectioni ſtudent, apud quos & alios invidia, neſcio quæ, ſcelerum monſtra parturit. *Pro Domin.* c. 85. n. 5. & 6.

Q. 3. Cur præ cæteris fugiendum hoc ſcelus? ℞. Quia cauſa fuit Paſſionis & mortis Dominicæ. *Pro Domin.* c. 86. n. 2. & 6.

Q. 4. Quo exemplo probas impietatem invidiæ? ℞. Exemplo Sancti Goar, qui apud Archiepiſcopum invidioſe accuſatus innocentiam ſuam miraculis demonſtravit. *Pro Domin.* c. 86. n. 3. & ſeq.

Q. 5. Quibus motivis maxime homo Chriſtianus ab invidia deterreri debet? ℞. Præcipue tribus motivis: 1. Quia homini eſt valde pernicioſa; fere enim non eſt in mundo tragœdia, quam non adornat invidia. 2. Quia lumini naturali repugnat; palmarem enim ſtul-

titiæ notam præſefert, cum nemini magis noceat, niſi ſibi ipſi. 3. Quia eſt vitium Deo maxime exoſum. *Pro Domin.* conc. 112. per totum.

Q. 6. Quænam eſt virtus contraria invidiæ? ℞. Eſt caritas; requiritur autem ad caritatem. 1. Ut ſit ſancta, id eſt, ex ſupernaturali motivo Dei præcipientis profecta. 2. Ut ſit prudens, ita, ut ſciat in proximo diſtinguere inter corpus & animam &c. 3. Ut ſit gratuita, id eſt, non quæſtuoſa, & ex ſpe retributionis profecta. 4. Ut ſit operativa, id eſt, vires ſuas omnes in utilitatem amati impendat, eique in neceſſitate efficaciter ſuccurrat. *Pro Domin.* c. 113. per totum. Nobilis, qui pauperis ſitim noctu ſolatur, in puteum cadens, in momento ſalvatur. *Ib.* n. 10.

Q. 7. Quænam eſt filia invidiæ? ℞. Eſt detractio, grande malum, & peccatum vere diabolicum, quo proximus doloſe denigratur, & in deſperationem agitur. Sed a Deo punitur, niſi revocetur. *Pro Domin.* c. 114. per totum. Henricus Montmorancius ante mortem revocat mendacium contra proximum prolatum. *Ib.* n. 8.

Q. 8. Quænam altera filia invidiæ? ℞. Eſt ſuſurratio, qua duo in mutua odia inflammantur, ignobile vitium, quod omnes hominum ſtatus turbat, multa bona impedit, & multa mala cauſat, ſibi ipſi autem maxime nocet. *Pro Domin.* c. 115. per totum.

## CATECHESIS X.

### De vitio Gulæ.

Q. 1. Quale vitium eſt gula? ℞. Truculentum; Judæi enim temulenti voluerunt Chriſtum lapidare, & homines guloſi contra Deum terribiles blaſphemias eructarunt. *Pro Domin.* c. 87. num. 1.

Q. 2. Cur tam turpe vitium eſt gula? ℞. Quia ab Adamo, & Noemo hæreditatum hominem in brutum commutat, nempe in agnum, ſimiam, porcum, aut leonem, *Pro Domin.* c. 87. n. 3. & ſeq.

Q. 3. Quod remedium gulæ? ℞. Si conſideres Chriſtum in Cruce felle potatum, & pœnas hujus vitii. Exemplum eſſe poteſt vir ebrioſus, qui a ſpectro in infernum ductus vidit pœnas temulentorum. *Pro Domin.* conc. 88. per totum.

Q. 4. Quæ mala poſt ſe trahit gula & intemperantia? ℞. Tria mala; nam. 1. Deſtruit bona fortunæ per prodigalitatem. 2. Deſtruit bona corporis per infirmitatem. 3. Deſtruit bona animæ per vitia, & impietatem, atque tandem in ipſam deſperationem inducit. *Pro Domin.* c. 116. per totum.

Q. 5. Quæ remedia ſunt gulæ & ebrietatis? ℞. Ut vitium ebrietatis ſolicite fugiatur, bene conſiderandum eſt, qualis homo ebrioſus ſit erga ſeipſum, deinde qualis ſit erga proximum, & denique qualis ſit erga Deum. *Pro Domin.* c. 117. per totum.

Q. 6. Quænam virtutes adverſantur gulæ & ebrietati? ℞. Temperantia & jejunium, quæ utraque virtus homini Chriſtiano tam corpore, quam anima ingens emolumentum confert. *Pro Domin.* c. 117. per totum.

## CATECHESIS XI.

### De vitio Iræ.

Q. 1. Quale vitium eſt ira? ℞. Eſt vitium valde perniciosum; quia pro viribus ſuis magna cum ferocia, & præcipitantia, & imprudentia contra proximum exardeſcit, & damna irreparabilia cauſat. *Pro Domin.* concept. 89. per totum.

Q. 2. Quod remedium contra iram? ℞. Conſideratio manſuetudinis Chriſti pro inimicis orantis, & conſideratio pœnarum, quibus ira plectitur. Exemplum eſſe poteſt maritus, qui cum maledixit uxori, illa monſtrum infernale peperit, a quo maritus interfectus eſt. *Pro Feſt.* c. 90. per totum.

Q. 3. Quare fugiendum eſt vitium iræ? Reſp. Quia triplex malum in orbe, videlicet odium totius mundi, grandia ſcelera, & ruinas ſæpe irreparabiles cauſat. *Pro Domin.* conc. 119. per totum.

Q. 4. Quotuplex eſt ira? ℞. Eſt, ut ita dicam, triplex: Ira cordis, quæ nihil eſt aliud, quam rancor & odium ex offenſa ſæpe leviſſima conceptum. Ira oris, quæ conſiſtit in imprecandi, & maledicendi pruritu. Et ira operis, quæ eſt tumultuoſa violentia, qua irati injurias ulciſcuntur. *Pro Domin.* c. 120. per totum. Ordinarie autem mala omnia, quæ irati cudunt, in caput illorum recidunt. *Ib.* num. 10.

Q. 5. Quænam eſt virtus contraria iræ? ℞. Eſt manſuetudo, virtus prorſus divina, ac homini proficua; quia ducit ad tranquillam vitam, lucratur hominum æſtimationem, & ſingulariter grata eſt Deo. *Pro Domin.* c. 121. per totum.

## CATECHESIS XII.

### De vitio Acediæ.

Q. 1. Quale vitium eſt acedia? ℞. Eſt vitium Deo maxime exoſum; quia a malo demone profectum grandia damna tam ſpiritualia, quam corporalia cauſat. *Pro Domin.* c. 92. per totum.

Q. 2. Cur fugienda acedia? ℞. Quia a Chriſto maximo odio habetur; hinc ille manum aridam hominis otioſi ſanavit. Homo otioſus & Deo, & Reipublicæ, & ſibi ipſi vehementer nocet. *Pro Domin.* c. 93. per totum.

Q. 3.



Q. 3. Quid ſentiendum de acedia? ℞. Certum eſt, quod ſit vitium valde periculoſum; quia nec vitia ſeu pravas conſuetudines, nec demonis tentationes, nec Dei inſpirationes curat. *Pro Domin.* c. 122. per totum.

Q. 4. Quas filias parturit acedia? ℞. 1. Parturit peccatum omiſſionis, quod tam grave eſt, quam commiſſionis. 2. Parturit peccatum inconſtantiæ, quod ſemper ad deterius vergit. 3. Parturit peccatum impenitentiæ, & deſperationis. *Pro Domin.* c. 123. per totum.

Q. 5. Quænam eſt alia adhuc filia acediæ? ℞. Eſt tepiditas, ſeu ſomnolentia in rebus ſpiritualibus, quæ ortum trahit vel a natura corrupta vel a temeraria ſecuritate, qua multi putant ſe ſuæ ſalutis ſecuros eſſe. Dein grandia mala poſt ſe trahit, & a Deo vel maxime odio habetur; cujus rei exemplum habemus in illo pigritante Monacho, cui Chriſtus Crucifixus in templo colaphum inpegit. *Pro Domin.* c. 124. per totum.

Q. 6. Quænam eſt virtus contraria acediæ? ℞. Eſt ſpiritualis alacritas & diligentia in operibus ſanctis, ad quam ſummopere requiritur. 1. Ut operemur celeriter. 2. Ut operemur indefeſſe. 3. Ut operemur abundanter. *Pro Domin.* c. 125. per totum.

## CATECHESIS XIII.

### De peccatis alienis in genere, & in ſpecie.

Q. 1. Quænam ſunt peccata aliena? ℞. Sunt illa, quæ, licet aliorum manibus, operaque perficiuntur, tamen & nobis imputantur, quia ab illa conſilio, juſſione, aut quovis alio modo cooperati ſumus; ſicut enim Deus aliena merita, quæ cauſamus, nobis imputat, ita & aliena peccata. *Pro Feſt.* c. 35. num. 1.

Q. 2. Quare fugienda ſunt peccata aliena? ℞. Quia ſunt æque gravia, & æque periculoſa, quam peccata propria, tam quoad culpam, quam quoad pęnam. *Pro Feſt.* c. 35. n. 3. & ſeq. O quam ſolicite homines ſancti fugerunt peccata aliena! *Ib.* n. 9.

Q. 3. Quomodo committitur primum peccatum alienum? ℞. Committitur conſilio, quod eſt peccatum valde commune in parentibus, in aulicis, & opificibus, & aliis. Maxima autem damna poſt ſe trahit tam ex parte accipientis malum conſilium, quam ex parte dantis. *Pro Feſt.* c. 36. per totum. Ordinaria autem pęna, qua mali conſultores puniuntur, eſt pęna talionis; id quod exemplificatur in Ammano, in Jezabel, in Phalaride, & aliis. *Ib.* n. 7.

Q. 4. Quod eſt alterum peccatum alienum? ℞. Eſt illud, quod committitur juſſione. Sic David juſſit occidi Uriam, & hodiedum iſtud peccatum inter Magnates, vindicativos, mercatores, artifices, & parentes valde commune eſt. *Pro Feſt.* concept. 37. num. 1. & 3. Graviſſimum hoc eſt peccatum, quod a Deo luculenter punitur. *Ib.* n. 5. 6.

Q. 5. An oportet obedire illis, qui mala præcipiunt? ℞. Nulla ratione: Reſiſtendum eſt Id quod exemplificatur in Beatiſſima Virgine, & aliis Sanctis. *Pro Feſt.* concept. 37. n. 7. & ſeq.

## CATECHESIS XIV.

### De tertio, quarto, & quinto peccato alieno.

Q. 1. Quodnam eſt tertium peccatum alienum? Reſp. Eſt, quod committitur conſenſu, v. g. cum peccatum non impediunt, qui illud impedire ex officio tenentur, aut omnino illud approbant. Sic Achab furti & homicidii accuſatur, quia uxori præcipienti lapidationem innocentis Naboth non reſtitit. Eſt hoc peccatum valde commune inter Principes, Magiſtratus, patres-familias & alios. *Pro Feſt.* concep. 38. a num. 1. uſque 9.

Q. 2. Quomodo fugiendum eſt peccatum conſenſus? ℞. Id explicatur exemplo S. Thomæ Aquinatis, Thomæ Mori, & Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis, &c. *Ib.* n. 10.

Q. 3. Quod eſt peccatum quartum alienum? ℞. Eſt illud, quod fit irritatione. Chriſtus Dominus in mundum venit, ut deſtruat peccatum: Igitur fini Incarnationis Dominicæ repugnant, qui verbo, aut opere alios ad peccatum provocant. *Pro Feſt.* concept. 39. per totum. Quam ſevere autem Deus hoc peccatum puniat, exemplum habemus in quodam hypocrita repente mortuo, qui Eudoxiam pęnitentem in ſæculum reducere voluit. *Ib.* n. 8.

Q. 4. Quodnam eſt quintum peccatum alienum? Reſp. Eſt illud, quod committitur peccatum laudando; laus enim humana multum nocet, in primis illis, qui laudantur propter virtutem, dein illis, qui laudantur propter peccata, denique illis, qui vituperio retrahuntur a pietate. *Pro Feſt.* concept. 40. per totum.

## CATECHESIS XV.

### De ſexto, ſeptimo, octavo, & ultimo peccato alieno.

Q. 1. Quod eſt ſextum peccatum alienum? ℞. Eſt ſubticentia, qua videlicet ad aliena peccata tacetur, eaque diſſimulantur, id quod grande vitium eſt; quia quilibet Chriſtianus amore Dei & proximi tenetur peccantes corrigere. *Pro Feſt.* conc. 41. per totum. Thuanus in Gallia morte punitur, quia

quia perduellionem Regi non aperuit, cujus conſcius erat. Sic & Deus puniet, qui tacent ad peccata. *Ib.* n. 8. & ſeq.

Q. 2. Quodnam eſt ſeptimum peccatum alienum? ℞. Eſt conniventia, qua maxime Superiores, & parentes, ac patres-familias ſe alienæ malitiæ participes faciunt. *Pro Feſt.* c. 42. per totum.

Q. 3. Quomodo contrahitur octavum peccatum alienum? ℞. Contrahitur participatione; id quod maxime fieri ſolet in peccatis furti & injuſtitiæ. *Pro Feſt.* c. 43. per totum.

Q. 4. Quod eſt novum & ultimum peccatum alienum? ℞. Eſt illud, quod committitur defenſione peccati, quod fit, cum vel propria, vel aliena peccata amore lucri aut alio motivo defenduntur. *Pro Feſt.* c. 44. per totum. Indicibile autem eſt, quantam Dei indignationem hoc peccatum poſt ſe trahat. *Ib.* n. 7. & ſeq.

## CATECHESIS XVI.

### De neceſſitate bonorum operum, & quomodo illa conſtituta eſſe oporteat.

Q. 1. Quare bona opera permagni æſtimanda ſunt? ℞. Ex triplici ratione: 1. Quia ſunt effectus fidei ſupernaturalis, quæ bona ſi opera non producat, inanis & nulla eſt. 2. Quia ſunt augmentativa gratiæ ſanctificantis. 3. Quia ſunt meritoria æternæ ſalutis. *Pro Feſt.* c. 45. per totum.

Q. 2. Quomodo bona opera conſtituta eſſe oportet? ℞. Ut Deo placeant, debent triplicem habere qualitatem: 1. Debent coram mundo occultari. 2. Debent Deo ſoli aſcribi. 3. Debent ad Deum tanquam finem referri. *Pro Domin.* c. 46. per totum.

Q. 3. An tolerantia adverſitatum etiam reputatur inter bona opera? ℞. Reputatur utique, imo homini magnam fert utilitatem; nam. 1. Adverſitates animum avocant a terrenis affectibus. 2. Præſervant contra peccata. 3. Virtutem augent. *Pro Feſt.* concept. 53. per totum. Quod ergo ſolatium maximum in adverſitate? ℞. Eſt Crux & Paſſio Chriſti. *Ib.* num. 8.

## CATECHESIS XVII.

### De effectibus, quibus bonorum operum merita coram Deo corrumpuntur.

Q. 1. An pretium operis boni ſemper conſiſtit in magnitudine & admirabilitate operis? ℞. Non. Quia ſæpe contingit, ut exiguum opus Deo magis placeat, quam grande aliquod, in eum fere modum, quo puſillus David præ fratribus in Regem electus eſt. *Pro Feſt.* c. 47. num. 1.

Q. 2. Quo nævo multoties bonorum operum merita corrumpuntur? ℞. Præſertim duplici: 1. Ab inani gloria, & 2. A voluntate, & amore proprio. *Pro Feſt.* c. 47. per totum.

Q. 3. Quinam ſunt alii defectus bonorum operum? ℞. Etiamſi coram mundo ſancta videantur, tamen ſæpe mendoſa ſunt 1. Ex vitio propriæ utilitatis. 2. Ex naturali propenſione. 3. Ex malo & nonnunquam peccaminoſo fine. *Pro Feſt.* c. 48. per totum.

Q. 4. Cur laborandum eſt, ut opera noſtra bona ſint ſine nævo? ℞. Quia, cum aliquando a mortuis reſurgemus, erunt unicum noſtrum ſolatium. *Pro Feſt.* c. 49. n. 1.

Q. 5. Quomodo ergo agendum, ut opera noſtra ſint ſine nævo? ℞. Attendendum ad tria: 1. Ut fiant in ſtatu gratiæ divinæ. 2. Ut procedant in ſincera devotione. 3. Ut ſint conformia noſtræ vocationi, & non fiant in præjudicium aliarum functionum. *Pro Feſt.* c. 49. a n. 3. & ſeq.

## CATECHESIS XVIII.

### De operibus Miſericordiæ corporalis in genere, & in ſpecie.

Q. 1. Cur opera Miſericordiæ placent Deo? ℞. Quia per hoc æmulamur miſericordiam & bonitatem Dei, quæ proprium ſunt divinæ naturæ attributum. *Pro Feſt.* c. 51. n. 1. Et ex hoc ipſo motivo ſtudere debemus operibus miſericordiæ. 1. Quia videlicet miſericordia erga pauperes eſt Deo valde grata. 2. Et immiſericordia coram Deo abominabilis. *Pro Feſt.* c. 51. per totum.

Q. 2. Quodnam eſt primum, & ſecundum opus miſericordiæ corporalis? ℞. Eſt eſurientes paſcere, & potum dare ſitientibus. Ad quid proſunt nobis hæc opera? ℞. Proſunt ad ſalutem, quia nemo ſecurior eſt de ſalute, quam qui eſurientes paſcit, & potum dat ſitientibus. *Pro Feſt.* c. 52. per totum.

Q. 3. Quodnam eſt tertium, & quartum opus miſericordiæ corporalis? ℞. Eſt operire nudos, & captivos redimere. *Pro Feſt.* c. 54. per totum.

Q. 4. Quodnam eſt quintum opus miſericordiæ corporalis? ℞. Eſt peregrinos hoſpitio recipere. Quanti autem meriti ſit hoc opus, patet ex eo; quia docetur lumine naturæ & exemplo Sanctorum, & grandi præmio, quo Deus tam temporaliter quam æternum hoc opus coronat. *Pro Feſt.* c. 55. per totum.

Q. 5. Quodnam eſt ſextum opus miſericordiæ corporalis? ℞. Eſt ægrotos inviſere, de quo duo ſingulariter notanda ſunt: 1. Quod viſitatio ægrorum opus ſit valde meritorium. 2. Quomodo utiliter inſtituenda ſit? *Pro Feſt.* c. 56. per totum.

Q. 6. Quodnam eſt ſeptimum opus miſericordiæ corporalis? ℞. Eſt mortuos ſepelire. Bene autem notandum, quomodo funera co-





mitari debeamus, nempe. 1. Ut ſacram ſepulturam tanquam ingens Dei beneficium nobis exoremus, dein ut luxum & immoderatum luctum caventes noſtram etiam mortem conſideremus. *Pro Feſt.* c. 57. per totum.

## CATECHESIS XIX.

### De operibus Miſericordiæ ſpiritualis in genere & in ſpecie.

Q. 1. Quænam opera Miſericordiæ ſunt præſtantiora, corporalia, an ſpiritualia? ℞. Spiritualia ſunt præſtantiora; quia anima præſtat corpore, eo quod ad Deum creata, & immortalis ſit, atque a ſanctis & ab ipſo Deo ſupra omnia æſtimatur. *Pro Feſt.* conc. 59. per totum.

Q. 2. Quod eſt primum opus miſericordiæ ſpiritualis? ℞. Errantes corrigere; Eſtque hæc correctio obligatoria, præſertim reſpectu eorum, qui præſunt, uti ſunt parentes, Patreſfamilias, Superiores, & alii. *Pro Feſt.* c. 60. per totum.

Q. 3. Quod eſt ſecundum opus miſericordiæ ſpiritualis? Ignorantes docere. Intereſt autem, ut huic operi ſtudeamus; quia ignorantia multa peccata poſt ſe trahit, quibus præcavendis aut extirpandis laborare debemus. *Pro Feſt.* c. 61. per totum.

Q. 4. Quod eſt tertium opus? ℞. Dubitantibus bene conſulere. Bene autem attendendum eſt. 1. Quanta ſit neceſſitas & utilitas alieni conſilii? 2. Quis in rebus arduis conſilio adhibendus ſit? 3. Quibus in materiis conſilio aliorum acquieſcendum ſit? *Pro Feſt.* conc. 62. per totum.

Q. 5. Quodnam eſt quartum opus? ℞. Conſolari mœſtos. Conſiderandum autem, quam gratum ſit amico ſolatium in luctu, quid in ſolatium illius proferendum ſit, & quantum præmium referat? *Pro Feſt.* c. 63. per totum.

Q. 6. Quodnam eſt quintum opus? Pro vivis & defunctis orare; per preces enim ad Deum fuſas multa bona impetramus pro vivis, & plura ac majora pro defunctis. *Pro Feſt.* c. 64. per totum.

Q. 7. Quodnam eſt ſextum opus? ℞. Mala, quæ nobis obveniunt, patienter ſuſtinere. Bene autem notandum, quam nobilis virtus ſit patientia, quos effectus aut gradus habeat, & quibus motivis nobis perſuadeatur. *Pro Feſt.* c. 65. per totum.

Q. 8. Quod ſeptimum opus? ℞. Injurias libenter condonare; id quod ab hominibus juſtis ſumme æſtimatur, a peccatoribus male oppugnatur, & a Deo magna remuneratione præmiatur. *Pro Feſt.* c. 66. per totum.

## CATECHESSI XX.

### De Morte.

Q. 1. An utilis eſt memoria mortis? ℞. Eſt utiliſſima; præſervat enim a peccato, adducit ad pœnitentiam, & animum virtutibus divitem facit. *Pro Feſt.* c. 67. per totum.

Q. 2. Quomodo ad mortem parari debemus? ℞. Cum mors tam juvenes, quam ſenes occidat, ſemper debemus ad mortem parari. Hæc præparatio autem duplex eſt: Generalis & remota eſt vita pie Chriſtiana; particularis & proxima eſt frequens mortis conſideratio. *Pro Feſt.* c. 68. per totum. Præcipue autem perpendenda eſt differentia inter mortem juſtorum & impiorum. *Pro Feſt.* c. 69. per totum.

Q. 3. Quid maxime conſiderandum circa mortem? ℞. Conſideranda eſt illius certitudo; quamquam enim certi ſimus nos morituros, tamen nemo ſcit, quo in loco, quo modo, & quo tempore ſit moriturus. *Pro Feſt.* c. 70. per totum.

## CATECHESIS XXI.

### De Judicio, & Inferno.

Q. 1. Quæ cauſæ judicium Dei adeo terribile faciunt? ℞. Triplex cauſa; terribile enim erit propter ſeparationem juſtorum ab impiis, dein propter rigoroſum examen, & denique propter ſententiam condemnatoriam. *Pro Feſt.* c. 71. per totum.

Q. 2. In quo ſpes collocanda pro futuro judicio? ℞. Poſt merita Chriſti in patrocinio Beatiſſimæ Virginis: Illa ob modicam devotionem occiſo a latronibus vitam & Sacramentorum gratiam impetravit. *Pro Feſt.* c. 71. num. 11.

Q. 3. Ad quid conducit conſideratio inferni? ℞. Emendat hominem peccatorem, ſi bene perpendat, quanta ſint inferni tormenta ex qualitate loci, ex acerbitate pœnarum, & ex dæmonum ac damnatorum conſortio. *Pro Feſt.* c. 72. per totum.

Q. 4. Quænam ſunt tormenta damnatorum? ℞. Sunt triplicis generis, nimirum pœna ignis, pœna vermis, & pœna carentiæ viſionis. *Pro Feſt.* c. 73. per totum.

Q. 5. Quodnam eſt maximum tormentorum damnatorum? Reſp. Maximum tormentum non conſiſtit in viſu; non in auditu, non in olfactu, nec in guſtu, ſed in æternitate, quæ nunquam deſinit. *Pro Feſt.* concept. 74. per totum.

## CATECHESIS XXII.

### De æternæ Beatitudinis gloria.

Q. 1. Ad quid conducat conſideratio Beatitudinis? ℞. Condutit ad virtutem, cujus ingens eſt ſtimulus. *Pro Feſt.* c. 75. n. 1.

Q. 2. Ex quo deſumi poteſt magnitudo gloriæ cæleſtis? ℞. Deſumi poteſt ex loco, ubi habitant Beati. *Pro Feſt.* c. 75. n. 3. Dein ex conſortio & cohabitatione Sanctorum. n. 5. Denique ex bonis gloriæ, quibus Sancti fruuntur. n. 8. & ſeq.

Q. 3. Quænam ſunt illa bona gloriæ? ℞. Sunt magna & inexplicabilia tam corporé. *Pro Feſt.* c. 76. n. 3. quam anima tenus n. 6. & ſeq.

Q. 4. An cæleſtia bona præſtant terrenis? ℞. Omnino; quia bona cæleſtia ſunt magna, ſunt pura, ſunt æterna, quibus qualitatibus bona terrena carent. *Pro Feſt.* concept. 77. per totum.

Q. 5. Quid ergo agendum homini Chriſtiano? Reſp. Hoc agendum, ut bona terrena intuitu cęli contemnat; quia mundani honores ſunt inanes & tranſitorii. Mundanę divitię ſunt periculoſę, & in altero mundo nil valent. Mundanę voluptates ſunt falſę, & deſinunt in miſeriam. *Pro Feſt.* concept. 78. per totum.

# I N D E X

## Rerum & Verborum, quæ in hoc Dominicali continentur.

## A

*Acedia.*
Quid ſit? 92. 1.
A diabolo provenit. 92. 3.
Quibus indiciis cognoſcatur? 92. 5.
Graviſſima damna tam corporalia. 92. 6.
Quam ſpiritualia cauſat. 92. 7.
Peccata plurima generat. 92. 8.
Eſt vitium valde periculoſum. 122. 2.
Quia nec ſua vitia & malas conſuetudines. 122. 2.
Nec dæmonis tentationes. 122. 5.
Nec Dei inſpirationes curat. 122. 8.
Ejuſdem filiæ ſunt peccatum omiſſionis. 123. 3.
Inconſtantiæ. 123. 5.
Impœnitentiæ. 123. 8.
Et tepiditatis. 124. 2.
*Adamus.*
Tota vita ſua continuavit pœnitentiam. 1. 7.
*Adverſitates.*
Proveniunt a Deo, 32. 3.
Non irato, ſed propitio. 32. 4.
Non ſunt malum, ſed occaſio boni. 32. 6.
Peccatorem ad pœnitentiam perducunt. 32. 7.
A peccato præſervant. 32. 8.
Expungunt reatum pœnæ reſiduum. 32. 9.
Purgatorii pœnas redimunt. 32. 10.
Conducunt ad profectum ſpiritualem. 71. 6.
*Agricultura.*
Eſt ars lucroſiſſima. 13. 1.
*Alexander Magnus.*
Filius Jovis vocari voluit. 79. 6.
In fluvio ſe lavans in periculoſum morbum incidit. 115. 5.
*Ambitio.*
Quid ſit, & quæ damna cauſet. 94. 7.
*Amor Dei.*
Quotuplex ſit? 16. 9.
In quo conſiſtat? 48. 5.
*Angelus Cuſtos.*
Erga morigeros & pios, non erga impios clientes curam habet. 10. 3.
*Arrogantia.*
Quid ſit, & quæ ejus impietas? 94. 5.
*Avaritia.*
Quid ſit? 81. 2.
Eſt vitium univerſale. 81. 3.
Crudele. 81. 4.
Imprudens. 81. 5.
Inſatiabile. 81. 6.
Incorrigile. 81. 7.
Et Deo abominabile. 81. 7.
Eſt radix omnium malorum. 82. 8.
Sub ſchemate honeſtatis larvatur. 99. 1.
Ejus filiæ ſunt immiſericordia in pauperes. 99. 3.
Fraudulentia in negotiis. 99. 5.
Et neglectus rerum divinarum. 99. 8.
Virtutes illi contrariæ ſunt juſtitia. 103. 3.
Liberalitas. 103. 6.
Et contemptus mundi. 103. 10.
*Avari.*
Magis amant bona tranſitoria quam æterna. 101. 1.
Sunt homines infeliciſſimi. 101. 2.
Qui in divitiis comparandis magno labore, 101. 3.
In conſervandis magno timore, 101. 3.
In amittendis magno dolore afficiuntur, 101. 8.
Triplex pœna in eos decreta eſt. 102. 1.
Una eſt in vita. 102. 3.
Altera in morte. 102. 5.
Tertia poſt mortem. 102. 7.

## B

*S. Birgitta.*
Quia paſſioni iræ ſuccubuit, a Chriſto graviter increpata fuit. 90. 9.
*Bona Hominis.*
Quotuplicia ſint? 104. 1.
*Bruta.*
Mira ſolicitudine malis ſuis mederi ſciunt. 7. 3.

## C

*Cantus impuri.*
Quæ mala cauſent? 108. 7.
*Caſtitas.*
Eſt gratuitum Dei donum. 111. 1.
Permagni æſtimatur a Domino DEO. 111. 3.
A Chriſto. 111. 5.
Et a Sanctis. 111. 7.
A Peccatoribus autem nihili æſtimatur. 111. 10.
Quæ remedia pro ea conſervanda? 111. 11.
*Cælibatus.*
Securior eſt, quam ſtatus conjugalis. 63. 11.
*Charitas Dei.*
Eſt ante Communionem elicienda. 48. 1.
Ejus effectus ~~ſunt~~ benefacere amato. 48. 3.
Pro amato multa pati. 48. 6.
Peccata fugere, & apud alios impedire. 48. 9.
Quomodo elicienda ſit in Deum? 48. 12.
*Charitas proximi.*
Eſt ſcutum gentilitium Chriſtianorum. 113. 1.
Ut ſit vera, debet eſſe ſancta. 113. 3.
Prudens. 113. 4.
Gratuita. 113. 7.
Et operativa. 113. 8.
*Chriſtianus homo.*
Per ſeriam converſionem debet accederé ad Deum. 72. 1.
In omnibus actionibus merita augeat. 73. 1.
In virtute magis ac magis creſcat. 75. 3.
Deo gratus ſit pro vocatione ad fidem. 75. 4.
Pœnitentiam. 75. 5.
Et ad certum ſtatum. 75. 8.
Sit humilis corde. 98. 3.
Ore. 98. 6.
Et opere. 98. 9.
*Chriſtus.*
Per pœnitentiam amiſſum honorem recipit. 12. 7.
In horto ab Angelo, in cruce a latrone conſolationem accipit. 12. 9.